



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 32. Jesuitæ Parisiis stabiliti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](#)

butorum curiis, ac vestigalibus postre- Sæcul. XVI.  
 mis Mensis Martii, & Septembris die- A. C. 1561.  
 bus penderentur, & tam tota hæc  
 subsidii summa, quam solutionis tem-  
 pora omnino observarentur sub iis con-  
 ditionibus, & oneribus, quæ imponere  
 necessitas suadet, ac Clerici sustinere  
 poterunt juxta mandata, ac monita,  
 quæ ipsis data fuere tam a præcipien-  
 tibus, quam a Cleri Deputatis, per quos  
 distribuetur summa, quam ipsis a Cle-  
 ricis exigere licebit ultra quartam par-  
 tem decimarum, quæ, ut præfato Cle-  
 ricorum Ordini, Archiepiscopis, Episco-  
 pis, Capitulis, & Beneficiatis imponan-  
 tur, concessæ fuerunt. Hoc pactum in  
 arce sancti Germani in Laya die vige-  
 sima prima Octobris fuit sigillo firmatum,  
 ratumque habitum.

### §. XXXII.

#### *Jesuitæ Parisis stabiliti.*

Ceterum ex præcipuis commodis, quæ  
 Pater Laynesius ex suo in Franciam  
 itinere, necnon sua in Possiacensi col-  
 loquio præsentia reportaverat, haud in-  
 simum fuit, quod Prælati, ad quos Pos-  
 siaci congregatos Senatus regius exa-  
 men, ac decisionem obstaculorum Socie-  
 tatis Parisis stabiliendæ confirmatio-  
 nem hucusque præpedientium remise-  
 rat, in favorem Jesuitarum rem decide-  
 rint,

**Sæcul. XVI.** rint, eorumque Societatem Parisiis fir-  
**A.C. 1561.** matam confirmarint, omnia pariter Claro-  
 montani Episcopi bona eisdem adju-  
 dicantes, quæ ipsis Senatus adimere  
 moliebatur, quamvis ea illis relinquere  
 quatuor, vel quinque mandatis Regiis  
 iussus fuisset: itaque Præfules præfa-  
 tum institutum tanquam societatem, ac  
 Collegium, non autem veluti Religio-  
 nem recens institutam approbabant, ad-  
 jecto tamen eo onere, ut hujus So-  
 cietas membra aliud, quam Societa-  
 tis Jesu, vel Jesuitarum nomen adopta-  
 re teneantur, necnon Episcopus Diœ-  
 cesanus plenam in dictam Societatem,  
 & Collegium inspectionem, ac jurisdi-  
 ctionem habeat, vi cuius ex præfata So-  
 cietaate sceleratos, aut dissolutis mori-  
 bus infames ejicere, ac expellere va-  
 leat. Hæc sunt propria verba, quibus  
 Conventus Poffiaci habitus utebatur  
 in tabulis, per quas hæc Societas Jesu  
 in Galliis fuit recepta, atque approbata,  
 eaque gesta fuere ante Colloquii exi-  
 tum die decima quinta Septembbris  
 Anno a Christi Nativitate millesimo  
 quingentesimo sexagesimo primo.

## §. XXXIII.

*Conditiones, sub quibus Jesuitæ  
 recepti.*

Inſu-